

scenderet, illi in fugam vertuntur, atque in alios incur-  
rentes, eos in fugam vertunt: jamque permixti passim  
equites pedestresque tumultuose revertebantur. Id cum fie-  
ret, adessentque Germani, fuga magis hostium, quam sua  
virtute incitati, manus Venetæ, quas ea planitiei pars  
exceperat, retrocedere, ac fugere contendunt, atque in  
aciem imperatoris, qui acceptis de suorum fuga nunciis  
eo properabat, implicantur: tum imperator, quantum tem-  
poris exiguitas patiebatur, suos perterritos sœdeque fu-  
gientes increpitare atque convertere, hostem sustinere ac  
reprimere adnixus, fortiterque diu pugnans, ingenti cæde  
utrinque facta, urgentibus Germanis cum suorum globo  
in flumen dejicitur, ibique periit: reliqua multitudo  
magis magisque perterrita pontem fuga petere contendit.  
Id conspicatus Andreas Burgius præfectus militum, spe-  
rans, si pons rescindatur, fore ut milites equitesque abla-  
ta fluminis transeundi facultate continerentur, seque in  
hostes necessario converterent, accurrens solutis retinaculis  
pontem propulit: quæ res in contrarium, atque ipse exi-  
stimator, verit; propterea quod timor consilium ple-  
runque non recipit. qui enim semel fugæ se mandave-  
rant, ea spe, ut si flumen transire possent, in tuto sese  
crederent futuros, ubi pontem sublatum viderunt, pleri-  
que omnes se in flumen præcipitaverunt, & armis equis-  
que depresso atque impliciti perierunt: pauci ripam tene-  
re potuerunt, quod flumine maximo, rapido, et vortico-  
so impediebantur: ut essent omnes, qui ab hostibus pu-  
gnantes imperfecti sunt, quique vi fluminis rapiente inte-  
rierunt, circiter mille. Unus Guidus Maria Rubeus cum  
sua equitum turma pugnae initio per medios hostium cu-  
neos viam sibi armis & virtute cum fecisset, atque in  
campum evasisset, Germanos exultantes in se convertit:  
quibus cum dimicans, quid in bello animus constantia-  
que possent, palam fecit. eorum enim partem cecidit, re-  
liquos disjecit, fugavit: atque ita clariorem sibi victoriam  
ex hostibus victoribus, quod raro fieri afolet, comparavit.  
Reliqui centuriones, equitumque præfetti, cæterique qui

*Robertus Se-  
verinensis  
interitus.*